



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 1. An Sacramenta causent physicè gratiam?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

nis Ecclesiasticæ, sed ipse Episcopus tunc imponit excommunicationem subito non facienti; quod Petrus designaverit; hujusmodi autem gravis est facultas, quam Pontifex, & Ecclesia habent ad materialiter determinandam materiam, & formam Sacramentorum. Alio modo se habet Episcopus, quando confert alicui facultatem præcipiendi sub excommunicatione: tunc enim non solum potest talis delegatus designare materiam præcepti, sed etiam imponere censuram, quæ adhuc non erat imposta, cujusmodi autem gravis esset facultas, quam ad instituenda Sacramenta haberet illa pura creatura, de qua loquimur, ut constat ex dictis. Videatur Cardinalis de Lugo disput. 7. sect. 2. Vide infra num. 217.

162. Obijcies contra totam hujus Sectionis doctrinam: Sanctus Cyprianus lib. de ablutione pedum non longè ab initio loquens de Eucharistia sic ait: *Summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor, in cæteris homines & Spiritum San-*

*ctum habere Doctorem; ergo neque Christus Dominus fuit Author omnium Sacramentorum, neque repugnat pura creatura, quæ sit causa æquæ principalis aliorum Sacramentorum. Respondeo 1. nego suppositum antecedentis: nam ut notat Bellarminus lib. de Scripturis, Ecclesiasticis liber ille de ablutione pedum non est S. Cypriani, sed cujusdam ignoti. Respondo 2. permisso antec. nego consequentiam: nam ly *in cæteris* non refertur ad alia Sacramenta, sed ad cæremonias, & ritus accidentales, qui observantur in confectioe Sacramenti Corporis, & Sanguinis Christi; etenim non solum ex Florentino, & Tridentino, & ex constanti ab Apostolis traditione, verum etiam ex ipsa Sacra Scriptura clarè constat, Sacramentum Baptismi institutum fuisse à Christo Domino Matthæi 28. ac proinde ly *in cæteris* neque à Divo Cypriano, neque ab ullo Auctore Catholico referri valet ad cæremonia Sacramenta.*

## DISPUTATIO IV.

### DE VIRTUTE, EFFECTU SACRAMENTORUM, ET DISPOSITIONE SUSCIPIENTIS.

163. Sacramenta causare gratiam ex opere operato, constat ex num. 16. licet non accederet quis ad Sacramentum cum dispositione contritionis, quæ in Justo meretur gratiam de condigno, gratia, quæ in præmium contritionis daretur, non esset gratia, quæ ex opere operato Sacramento correspondet; hæc enim confertur independentè ab eo, quod actio Ministri, aut suscipientis sit, vel non sit meritoria, sive quod idè est, independentè à merito operantis. Quapropter Sacramenta, quæ Christus Dominus Apostolis contulit, causarunt gratiam ex meritis Christi ab illa actione independentibus, ita, ut eandem ex operato causarent gratiam, licet illa actio Christi meritoria non esset; sic etiam ille, qui accedit ad Sacramentum Penitentiae cum contritione, quæ utpote pars Sacramenti Penitentiae causat ex opere operato gratiam, recipit gratiam ex opere operato vi contritionis ut partis Sacramenti distinctam ab illa, quam accipit vi contritionis ut meritoriae. Cæterum, cum Sacramenta causent ex opere operato ad modum causæ necessariæ, conferunt etiam majorem, vel minorem, juxta dispositionem subjecti: sic ignis majorem calorem causat in subjecto magis disposito, & approximato, licet ista dispositio, & approximatio non habeant virtutem producendi calorem, ut constabit ex num. 201. Quapropter, quando dispositio est causa meritoria gratiæ, duo habet distincta munera valde notanda, alterum disponendi subiectum in ordine ad Sacramentum, sive ad causam necessariam gratiæ ex opere operato; alterum movendi DEUM ad conferendam gratiam

am subiecto ex opere operantis. Ex quo principio facile dissolvuntur omnia argumenta Hæreticorum intendentium, gratiam conferri ex Fide, aliisque dispositionibus, non autem virtute Sacramentorum; confertur enim ex Fide, & aliis dispositionibus meritorie, si sint actus liberi gratia habituali formati, à Sacramentis autè confertur coactivè ex opere operato, ut ex progressu Disputationis late constabit.

### SECTIO I.

#### *An Sacramenta causent physicè gratiam?*

Celeberrima est hac tempestate in Scholasticis controversia, pro cujus decisione suppono 1. ex Libris Physicorum, causam efficientem duplicem esse, alteram physicam, alteram moralem. Causa efficiens physica est illa, quæ immediate exequitur actionem, per quam effectus producitur, & à qua actio immediate operitur. Causa efficiens moralis dicitur illa, quæ quia est saltem absolute prævisa independentè ab effectu, movet per sui allicientiam causam physicam ad effectus productionem; sic causant consilium, mandatum, preces, minas, merita, & alia hujusmodi, & per hanc formalitatem distinguitur causa moralis efficiens à causa morali non efficienti, v. g. finali, & aliis similibus: nam causa finalis movet ad positionem effectus, ut ponatur causa; sic salus movet ad ponenda remedia, quibus obtineatur salus. Quapropter movet, ut sit, & dicitur causa p-

te moralis, sive non efficiens; illa verò, quæ movet, quia est, dicitur causa moralis efficiens.

167. Suppono 2. causam moralem efficientem esse duplicem, unam principalem, quæ valorem, & æstimationem accipit ab ipsa persona, à qua ponitur actio; alteram instrumentalem, quæ valorem, & æstimationem, quam habet, non accipit à dignitate personæ, à qua ponitur actio, sed à dignitate illius, nomine cuius ponitur, & cum eis constituit totum morale. Suppono 3. ubi est periculum erroris, prohibitum esse accipere in re dogmatica verba aliter, ac sumpturunt à Sanctis Patribus: sic erenim habet sexta Synodus generalis sess. 12. *omnino necesse est, non solum secundum sensum sequi Sanctorum Patrum dogmata, sed eisdem vocibus uti cum eis, nihilque penitus innovari.* Quapropter licet generans producat dispositiones moventes DEUM ad productionem animæ rationalis, dici non potest absolute causare animam: quia Sancti Patres, & omnes Catholici negant hanc locutionem contra eos, qui erroneè dicebant, animam produci à generante, ne exinde errorem arripiant alteri. His positis

166. Sentiant omnes Theologi, nec dissentit Doctor Eximius, ut ei falso imponit Gonnerus, omnia Sacramenta causare moraliter gratiam, ut infra constabit. Modò quærimus, an etiam gratiam physicè causent? Prima sententia affirmat; ita communiter Thomistæ, Granadus, Meratius, Dicastillo, Elparza, & alii. Secunda negat, ita S. Bonaventura, & plures, quos sequitur Vasquez disput. 132. cap. 2. & 5. Connich, Caspar Hurtado, Lugo, Arriaga, pluresq; alii, quibus accedit Plarelius, asserens plura De Thomæ testimonia, utriusque parti faventia.

167. Affero cum secunda sententia, Sacramenta non causant physicè gratiam. Probat 1. plura Sacramenta causant gratiam, quando jam non existunt, sic Baptismus cum obice susceptus, ablato obice post longum tempus, causat gratiam; atqui Sacramenta, quæ physicè non existunt, non possunt physicè causare gratiam; ergo Sacramenta non causant physicè gratiam. Respondent Adversarii, Sacramenta quæ causant dum physicè existunt, causare physicè; quæ verò causant, dum physicè non existunt, causare moraliter. Mira responsio! vellem scire ab Adversariis, ex quo textu scripturæ, ex quo testimonio Conciliorum aut SS. Patrum hanc differentiam inferant, & ubinam inveniant Christum Dominum dedisse unis Sacramentis hanc virtutem ad causandum, & alteris alteram. Imò exinde

168. Contra 1. Sacramenta non habent aliam virtutem ad causandam gratiam, nisi quam dedit illis Christus Dominus: sive quam invenimus in Scripturis Conciliiis & SS. Patribus; atqui in Scripturis Conciliiis, & SS. Patribus exprimitur virtus Sacramentorum ad causandam gratiam, quin in ordine ad causandum apponatur ulla differentia inter Sacramenta, quæ

causant, dum non existunt, & quæ causant, dum existunt; ergo eodem modo, ac proinde non physicè sed moraliter utraque causant. Maj. & consequentia tenent; Min. patet ex Testimonio Scripturæ citatis à num. 153. ex Florentino. Citato num. 4. ex Trid. num. 16. ex Pontificibus, & SS. Patribus citatis à num. 140. ergo &c. Contra secundo Augustinus lib. 3. de Bapt. c. 3. proponens virtutem Baptismi causantis, dum non existit, nullam differentiam apponit, sic enim habet: *Tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiam pacem venerit, non ut jam dimissa non retineantur, neque ut ille Baptismus quasi alienus, aut alius improbetur, aut alter tradatur, sed ut idem ipse qui propter discordiam operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem.* Pariter auctor Sermonis de Passione Christi apud Cyprianum dicens: *Licet indigni sint, qui accipiunt; Sacramentorum tamen reverentia, & propinquiorum ad Deum parat accessum, & ubi redierint ad cor constat absolutionis donum, & redit effectus munerum;* ergo &c.

169. Probat 2. Conclusio, & enervatur Adversariorum responsio: si facta absolutione in Baptismo nondum finita sit formæ verbalis prolatio, absolutio præterita non potest physicè causare gratiam, quando causat gratiam Sacramentum; atqui iisdem verbis, & eodem modo tribuitur in Scriptura absolutioni effectus gratiæ, quotiescunque detur Sacramentum expeditum; ergo Sacramenta non causant physicè gratiam. Maj. & conseq. tenent; Min. patet, quia virtus Baptismi habetur in Scriptura in iis verbis Christi Domini Joana 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum DEI,* quod definit Trid. Sess. 7. Can. 2. de Baptismo per hæc verba: *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. ad Metaphoram aliquam detorserit: anathema sit.* Sed in illis Scripturæ verbis nulla apponitur, differentia ad causandam inter absolutionem, quæ causat dum non existit, atque causat dum existit. Confirmatur Sacramenta novæ legis eo modo causant gratiam, quo illam ex institutione Christi Domini significant: atqui ea significatio utpote ad placitum Christi Domini non est physicè, sed moralis; ergo

170. Probat 3. Sacramenta, quæ causant, dum physicè non existunt, non causant physicè gratiam, ut Adversarii fatentur; atqui Sacramenta semper causant adæquatè, dum adæquatè, & physicè non existunt; ergo &c. Probat 4. min. Sacramenta utpote constituta ex rebus, & verbis, non existunt simul physicè, & adæquatè, sed successivè: possunt enim prius existere physicè res, & postea verba, vel econtrariò imò non est appositum Sacramentum, usque dum

dum proferatur ultimum verbum formæ; atqui quando proferitur ultimum verbum formæ, jam non existunt physice verba prius prolata, sed extiterunt; ergo Sacramenta semper adæquatè causant, dum physice adæquatè non existunt. Confirmatur 1. Ultimum verbum formæ verbalis constituit adæquatè formam; nisi simul cum verbis præcedentibus; atqui aggregatum ex illo ultimo verbo, & præcedentibus non est aggregatum physicum, sed morale; ergo &c. Confirmatur 2. Existere physice unam partem aggregati successivi, non est existere physice totum aggregatum successivum; atqui totum aggregatum successivum causat gratiam, cum totum sit à Christo Domino institutum ad eam causandam; ergo non causat physice, sed moraliter gratiam. Confirmatur 3. Eatenus causat ea ultima pars, quatenus causant partes præcedentes, cum quibus constituit adæquatam formam, & virtutem causandi, sed partes præcedentes non causant physice, sed moraliter; ergo ea ultima pars non causat physice, sed moraliter.

171. Respondent Adversarii, licet non existant omnes Sacramenti partes, sed ultimum duntaxat indivisibile, istud physice producere gratiam, & ratione istius denominari physice producentes illas omnes Sacramenti partes, quæ jam præcesserunt, & modò non existant: sic totus globus denominatur tangens planum ratione unius indivisibilis tangentis, & totus exercitus denominatur devastans arcem, licet paucæ cohortes illam devastent, ex eo, quod nisi alii milites existerent, ipsi arcem non devastassent: cum autem istud indivisibile Sacramenti existens non causaret gratiam, nisi aliæ partes extitissent, ex eo, quod istud indivisibile causet physice gratiam, omnes illæ partes, quæ extiterunt, denominantur physice causantes gratiam. Hæc responsio nullam reddit solutionem nostris argumentis: supponit enim, illud ultimum indivisibile causare physice gratiam; cum autem eam physice non causet, ut ex nostris argumentis constat, nulla redditur argumentis nostris solutio ex hac responsione, quin imò eadem responsio falsa est, & contra Adversarios pugnat. Exinde

172. Contra 1. & exempla Adversariorum contra ipsos pugnare sic ostendo: si DEUS destrueret omnes partes poli propter indivisibile tangens planum, non denominarentur reliquæ partes tangentes ratione hujus indivisibilitatis: tum etiam, si una cohors devastaret arcem, quando perierunt alii milites, qui nihil operati fuerant in arcis devastatione, neque devastatoribus physice coëxiterant, milites, qui perierant, non denominarentur devastantes arcem ratione istius cohortis illam devastantis; atqui, quando istud ultimum indivisibile causaret physice gratiam, jam perierant reliquæ partes, quæ nihil operatæ fuerunt in productione physica gratiæ, neque quæ extiterunt physice cum hoc ultimo indivisibili; ergo &c. Contra 2. Re-

liquæ partes, quæ præcesserunt, neque existunt physice, neque ununtur physice, sed solum moraliter cum hoc indivisibili physice existente, & causante; ergo ratione illius non possunt denominari physice, sed solum moraliter causantes. Contra 3. Causare denominative non est physice, sed denominative tantum influere; ergo ex ipsa responsione Adversariorum Sacramentum adæquatè sumptum non instituit physice in gratiam; atqui Sacramentum adæquatè sumptum institutum, & elevatum fuit à Christo Domino ad gratiam causandam: ergo non fuit institutum, & elevatum ad causandam physice gratiam.

Contra 4. Quòd ultimum indivisibile causet gratiam per respectum ad partes præcedentes, provenit ab ordinatione divina nolente cutere gratiam per ultimum indivisibile, nisi ceteræ partes præcesserint; sed hoc non sufficit, ut ceteræ partes Sacramenti, quæ jam physice non existunt, dicantur physice causare gratiam; ergo &c. Probatum min. Licet ex ordinatione divina voluntas posteriorum esset in voluntate Adami, tum quia, quando peccavit Adamus, posteri physice non existebant, sed solum moraliter; non peccaverunt physice, sed solum moraliter; similiter, licet DEUS non contulerit gratiam antiquis Patribus, nisi ex prævisione meritum Christi, tum quia merita Christi non existebant physice, sed moraliter, non causaverunt gratiam physice, sed moraliter; ergo licet ex ordinatione divina non cesset gratiam ultimum indivisibile, nisi præcesserint aliæ partes; tum quia ceteræ partes non existunt physice, sed moraliter, quando istud ultimum indivisibile causet, non est sufficiens, ut ceteræ partes dicantur causare physice, sed solum moraliter.

Respondet Gonnatus, Contenson, & alii Thomistæ, Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, quæ imprimunt Characterem, aut quando non existunt, posse physice producere gratiam medio Characterè ab ipis relicto, sicut mortuo generante producitur proles per virtutem à se relictam in semine. Contra tamen 1. Gratia, utpote natura in ordine superno, & primus omnium Sacramentorum effectus, ut constabit num. 201. nequit à Characterè naturaliter produci, sed ad summum possit produci à Characterè per elevationem instrumentalem, ut etiam ipsi Adversarii concedunt; atqui, ut causa, quæ non existit, causet media virtute à se relicta, requiritur, quòd virtus relicta naturaliter causet effectum; ergo &c. Probatum min. evidenter, & interrogo Adversarios: vitis, quæ producit vinum, ejusque accidentia, quæ non producit gratiam, quæ ab ipsis Adversariis producitur ab ipsis accidentibus? nulla sanè est alia ratio, nisi quia accidentia producta à vite, non producant apud ipsos naturaliter gratiam, sed solum instrumentaliter per elevationem; ergo ut causa, quæ non existit, causet media virtute à se relicta, requiritur

requiritur, quod virtus relicta causet effectum naturaliter. Confirmatur. Causa, quæ non existit, eatenus causare dicitur per virtutem à se relictam, quatenus relinquit virtutem suam in ordine ad causandum effectum, cui virtuti, quatenus à se relicta debetur effectus; atqui ea virtus talis non est, si non causet naturaliter effectum; ergo &c. Exinde exploditur responsio Elparæ dicentis, Sacramenta, quæ non existunt, causare mediis speciebus à se relictis, & infertur, gratiam non esse effectum Characteris, solumque dici Characterem habere suum effectum, quando habet gratiam, quatenus habet effectum primum suæ causæ. Vide numerum 202.

175. **Contra 2.** Sacramenta non produciunt physicè Characterem; ergo neque possunt producere physicè gratiam medio Characterem. Consequentia tenet, & antec. probatur eisdem rationibus, quibus probamus, Sacramenta non posse physicè causare gratiam, quæ sic instauratur: Sacramenta solum possunt causare aut gratiam, aut Characterem modo, quo sunt instituta à Christo in ratione Sacramenti; atqui ultimum solum indivisibile formæ verbalis non est Sacramentum à Christo institutum, sed aggregatum ex illo, & reliquis jam transactis; ergo illud solum ultimum indivisibile nequit causare aut gratiam, aut Characterem, nisi aggregatum ex illo, & reliquis jam transactis; atqui illud aggregatum non existit physicè, sed solum moraliter: ergo nequit causare aut gratiam, aut Characterem physicè, sed solum moraliter. **Contra 3.** quia apud Adversarios plura Sacramenta, quæ Characterem non imprimunt, causant gratiam, dum non existunt; ergo nullus est recursus ad Characterem. Neque dicas cum Gonner, & Contenson, ea Sacramenta solum causare moraliter gratiam: nam exinde corrumpitur omnis influxus physicus ab ipsis excogitatus, ut constat à num. 167.

176. **Probat 4.** nostra conclusio: Sacramenta solum causant gratiam, movendo DEUM, ut eam Spiritus Sanctus ex motivo Sacramentorum producat; sed hoc non est causare physicè, nisi solum moraliter gratiam; ergo &c. **Probat 5.** ex Augustino Epist. 23. ad Bonifacium dicente: *aqua exhibens extrinsecus Sacramentum gratia, & Spiritus S. operans intrinsecus beneficium gratia, solvens vinculum culpa, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem Christo;* & Hieronymo in cap. 4. *Itaque dicente: ex hoc discimus, quod homo tantum aquam tribuat: DEUS autem Spiritum Sanctum;* & Cypriano Serm. de Baptif. Christi dicente: *remissio peccatorum sive per Baptifmum, sive per alia Sacramenta donatur, propria Spiritus Sancti est, & ipsi soli, cujus efficientia privilegium manet: verborum solennitas, & Sacri invocatio Nominis, & signa institutionibus Apostolicis Sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant Sacramentum; rem verò Sacramenti Spiritus Sanctus format, & efficit;* ex R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

Ambrosio lib. 1. de Sacrament. cap. 5. *aliud est elementum, aliud consecratio, aliud opus, aliud operatio; aqua opus est, operatio Spiritus Sancti est;* ergo &c. Ex dictis

177. **Fit 1.** ex testimoniis Sanctorum Patrum superioribus adductis, non solum negari Sacramentis influxum physicum principalem, verum etiam instrumentalem in gratia; aliter non bene dicerent Sancti Patres, illam physicam efficientiam non esse à Sacramentis, sed à DEO; sic ex eo, quod gratia producat actus supernos ut causa principalis, & voluntas ut causa elevata instrumentalis, hæc propositio: *voluntas nostra nihil agit, sed sola gratia DEI,* damnatur in Tridentino sess. 6. can. 4. **Fit 2.** argumenta nostra militare contra Adversarios, sive dicant, Sacramenta physicè producere gratiam per potentiam obedientialem sibi intrinsicam, sive per virtutem transeuntem sibi inhaerentem, & à Deo impressam. Ratio est, quia quilibet ex his modis pugnat contra doctrinam Sanctorum Patrum à nobis traditam; tum quia nullo ex his modis possunt causare physicè Sacramenta, quæ causant, dum non existunt, neque Sacramenta, quæ causant, quando existit eorum ultimum indivisibile, sive ultima pars, ut constat ex dictis; ergo &c.

## SECTION II.

## Solvuntur Opposita.

178. **Objiciet 1.** Scriptura, Concilia, & Patres passim docent Sacramenta conferre, causare, tribuere, & continere gratiam, nos lavare, mundare, & regenerare, & liberare à peccatis; sed hæc munera solum possunt intelligi de influxu physico, & non de morali; ergo &c. **Confirmatur 1.** Verba Scripturæ intelligenda sunt, ut sonant; atqui ista munera ut sonant, significant causalitatem physicam, & non moralem; ergo &c. **Confirmatur 2.** Nomen analogum absolute prolatum sumitur à Philosophis pro nobiliori significato; sed nobilior significatum causæ est influxus physicus, & non moralis; ergo &c. **Terriò** Sacramenta dicuntur à Conciliis absolute & sine addito limitante, causa gratiæ; sed sola causa physica, & non causa moralis, potest dici absolute & sine addito limitante causa; ergo &c. **Probat 3.** min. generans producat in materia dispositiones ad animam rationalem, movere DEUM, ut animam rationalem producat, ac proinde est causa moralis productionis animæ; atqui nequit dici absolute, & sine addito limitante hominem causare animam; ergo &c. **Mirò** Adversarios ita fidenter arguere contra nos, quandoquidem argumentum ipsi contra ipsos solvunt, eosque in testes invoco, & quæro ab illis, an Sacramenta, quæ causant, dum non existunt, adimpleant ea munera, quæ ex Scriptura, Conciliis & Patribus in argumento afferuntur; Respondent Adversarii, ea adimplere, dum gratiam moraliter causant, per quam ea omnia munera adimpleantur. Si ergo ea adimplentur.

M m m plens